

Q. N. 351, 28.

I. N. J.

ΕΥΔΑΙΜΟΝΟΛΟΓΙΑ,

SIVE

DISSERTATIO ETHICA

DE

SUMMO BONO,

FINE PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO AUGUSTO,

PRINCIPE REGIO,

ELECT. SAX. HÆREDE &c. &c.

publice different

In Illustri Academia Wittenbergensi

d. XX. Decembr. clo. Isell

PRÆSES

M. JOH. LAURENTIUS

Schneemelcher /

Wernigeroda-Thuringus,

AUGUSTISS. REGIS POLON. AC SERENISS. PRINC.

ELECT. SAX. ALUMNUS,

&

RESPONDENS

DANIEL LEOPOLDUS

Augusta-Vindelicus.

WITTEBERGÆ, Typis Joh. Hakii.

XXX.

165

II f
797

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

1702

956.

EYΔAIMONOLOTIA
SIVE
DISSERTATIO ETHICA

STIMMBOBNO

FINE PHILOSOPHIE PRACTICE

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO
DN. FRIDERICO AUGUSTO

PRINCIPI REGIO
ELECT. SAX. HEREDE &c. &c.
publice disserent

In Illustri Academia Wittenbergensi

d. XX. Decembr. cl. Jacq.
P R E S E S

M. JOH. LAURENTIUS

Wittenbergensis

Weningersdorf-Thuringens.
AUGUSTISS. REGIS POLON. AC SERENISS. PRINC.
ELECT. SAX. ALUMNI

&
RESPONDENS

DANIEL LEOPOLDUS

Augusta-Vindelicus.

WITTENBERGE, Typis Joh. Hahnii

B. C. D.
PROOEMIUM.

Vivere omnes beatè volunt : sed ad pervidendum , quid sit, quod beatam vitam efficiat , caligant. Sic differit *Annanus Seneca Lib. de Vita Beata. C. 1.* proponens cujuslibet cupiditatem appetendi *Summum Bonum*, tarditatemque mediolorum, quibus impetrari queat. Id quoque desiderium *Felicitatem* consequendi depingit *S. Augustinus de Civ. Dei Lib. 8. C. 8. Ad S. B. inquit, omnia referimus, quæ agimus, idque adipiscentes nihil, quo beatè sumus, ulterius requirimus.* Veteres varias de *S. B.* lententias foverunt. Refert *August. lib. 19. de Civ. Dei c. 1. Varronem in Libro de Philosophia excogitasse CCLXXXVIII. dogmata diversa de hac re, non quæ essent, sed quæ esse possent.* Quando autem *Felicitatis* ipsius utilitas, dignitas jucunditasque rectè riteque considerantur: quivis, licet quicquam difficultatis ab aliis, variè docentibus, inferatur, tamen promptiore animo nitetur eo, ut reddatur illius particeps. Hinc ut & nos illius dignitatem atque utilitatem cognoscamus, ejusque quodammodo compotes fiamus, volumus hanc rem totius Philosophiæ optimam ac præstantissimam eligere, eamque, quoad ejus fieri potest, persequi, supplices orantes *Summi Boni* Datorem *Luminumque Patrem*, à quo omne Donum perfectum descendit, ut nostrum laborem prosperare velit.

§. I. Primo omnium existimamus nobis esse dispiciendum de *Summi Boni Natura seu Definitione.* Antequam enim edisseramus de existentia, sciendum est primo, quid id sit, de quo quæritur, quid sit. Videtur autem ex *lib. 1. Ethic. Nic. c. 7. Arist. juxta Aristotelicos hæc optima: Ευδαιμονία τὸ ἐν ἐνέργειᾳ τῆς ψυχῆς λογικῆς κατ' ἀρετὴν ἀρίστη καὶ τελειωτάτη ἐν βίῳ τελείῳ.* Sive: *Summum Bonum est actio animæ rationalis secundum virtutem optimam & perfectissimam in vita perfecta.*

§. II. Antiquorum Philosophorum quidam dicuntur ex universa natura fines sustulisse, ut *Anaxagoras & Empedocles*, qui dixerunt omnia fieri ex materiæ necessitate; pariter *Democritus & Epicurus*, qui statuerunt res gerendas ex partium inter sese casu fortuito coeuntium fieri. *Arist. 1. 2. c. 8. Physic. Conimbr. in b. l. Adrianus*

autem Heereboordius Exerc. Ethic. IV. §. II. p. 436. illos excusat: quod
 serio, inquam, id sustinuerint prisci avi sapientes, vix à me impetro,
 ut credam: contra sane omnis mortalium cura, quam multiplicium studio-
 rum labor exercet, diverso quidem calle procedit, sed ad unum tamen
 beatitudinis finem nititur pervenire: id autem est bonum, quo quis acce-
 pto nihil ulterius desiderare potest. Dari Summum Bonum, ultimum re-
 rum gerendarum finem, probatur ex Arist. Lib. I. Eth. Nic. cap. 1.
 Πᾶσα τέχνη καὶ μάθημα μέθοδος, ὁμοίως δὲ ἀρχὴς τε καὶ ἀποτέλεσμα ἀγαθὸν τινος
 ἐπέσταν: dicitur Omnis ars & omnis methodus, itemque actio & electio bonum
 aliquod appetere videtur. Hæc verba Jacobus Martini Disp. Eth. 3.
 Quest. 2. & Johann. Magirus in b. l. ita explicant. Aristo-
 teles, univ. sam humana vita occupationem finem appetere docens, qua-
 tuor eam complectitur nominibus, ita quidem, ut τέχνη in proportione re-
 spondeat ἀρχῆς: & μέθοδος ἀποτέλεσμα, hoc modo: Homo, cum mentem
 habeat similem tabula nuda, cui nihil sit inscriptum, omnia autem in-
 scribi possint, aut operando inquirat habitum, aut acquisitum exercet ha-
 bitum, inquam, sive is sit θεωρητικός, sive πρακτικός sive ποιητικός. Ut ita
 tota hominis actio sit vel acquisitio, qua generaliter θεωρία: vel exer-
 citatio, qua in eadem generalitate ἀρχῆς dici potest. Caterum in acqui-
 sitione sive θεωρία illa duo dantur (1) id, quod acquiritur, & dicitur
 τέχνη seu quoddam artificiosum inventum, quod præceptis includi doceri-
 que ac disci potest, sive sit theoreticum, sive practicum, sive Poeticum.
 (2) modus acquisitionis, qui est μέθοδος, qua est τρόπος ἐπιτηδεύσεως, vel com-
 pendium quoddam habitum quemcumque, acquirendi in theoreticis, pra-
 cticis, poeticiis. Ad exercitationem sive ἀρχῆς requiruntur duo, actio
 & agendi consilium. Datur similitudo inter τέχνην & ἀρχῆν, ac inter
 μέθοδον & ἀποτέλεσμα. Ut τέχνη notat habitum, qui acquiritur, & μέθοδος
 rationem & modum acquirendi eum: sic ἀρχῆς significat operationem,
 in exercitio ex habitu acquisito fluentem, ἀποτέλεσμα vero consilium, quod
 illam ad certum finem dirigit. Ut igitur ille facultates in suos fines, ita
 etiam hæc in suos tendunt. Cui quoque subscribit Cic. lib. 2. de finib.
 Ut adcursum, ajens, equus, ad arandum bos, ad indagandum canis, sic
 homo ad duas res, intelligendum & agendum est natus, quasi mortalis
 Deus

Deus. Summi Boni Existentia satis apparet ex creatione: Omnis enim creatura habet sibi congenitum & certum finem præfixum. Quo præstantior autem est creatura, eo præstantiorem finem habet præstitutum. Si homo absque fine ageret, esset inanis atque frustraneus hominum appetitus, quod esset contra ordinationem Primi efficientis & Naturæ: *Deus enim & Natura faciunt nil frustra. Arist. lib. Isde Cælo c. 4.* Certum igitur est dari finem hominis, cumque ultimum, non solum intermedium, qui facit ad alium tanquam ultimum consequendum, quia non datur progressus in infinitum, à quo natura maxime abhorret *Arist. l. 3. Phys. c. 16.*

§. III. Hujus definitionis *Subjectum & Predicatum*, quorum id *Definitum*, hoc *Definitio* dicitur, sunt altius perspicienda. In *Definito* autem examinanda sistit se primo *Etymologia*. *Εὐδαιμονία* derivatur ab *εὐδαιμονίῳ*, beate vivere, ex *εὐ* & *δαίμων* facta. Et forsitan id dicitur ex *Platonis* mente, qui *Pythagoram* secutus duos *Δαίμονας* seu spiritus, qui præsto essent statim à nativitate, quorum unum dicens *εὐδαιμόνα*, *felicitatis*, alterum *κακιδαιμόνα*, *infortunii* autorem, statuebat, unde si quis *Bono* obsequeretur, *felix*, sin *Malo*, miser homo fieret. *Gualterus Donaldsonus Synopsis. Phil. Moral. lib. 1. cap. 2. August. Buchnerus Part. 2. Ep. 22. Heereboord. Exerc. Ethic.*

IV. §. 3. p. 439. Denotat vero nobis *Bonum* seu *Felicitatem*, ex recta ratione ortam. *Bonum* autem quidam volunt a *dono* dictum, *d. in b.* converso, ut duellum, bellum, dis, bis; cum omne donum bonum veniat à Deo *Jac. I. 17. Becmannus de Orig. Lat. Lingv. sub voce de.* Alii deducunt à *boando*, ac si *boando* ac *vociferando* ad se adducat. Nonnulli originationem ejus agnoscunt ex *Hebræo* *בון* dempta litera *ו*, & terminatione assumpta.

§ IV Quoniam autem errorum generix est æquivocatio semper; *Homonymiam* paucis perstringimus. *Bonum Essentiale*, quod solus Deus est *Matth. XIX. 17. Marc. X. 18.* hic non venit in censum. Neque *apparens* sive *palliatum* sive *externum* hic intelligitur, quod creditur bonum ob similitudinem quandam, vere tamen non est; sed sermo nobis est de *vero* quale est *Bonum Morale Philo-*

sophicum, quod intrinsecè bonum est. Neque *Theologicum*, absolute *Summum Bonum*, quod est nil aliud, quam Beatitudo æterna, quæ propriè in nulla Philosophiæ parte, ideoque non in Ethica, sed in sacra Theologia, proponitur & tractatur; quæ hanc laudem sibi vindicat sola, quod hominem possit reddere ἀρτίον πρὸς τὴν εὐχὴν ἀγαθὸν ἐξαρτισμῶν II. Tim. III. 17. Illud erit in coelis, ubi à facie ad faciem Deum adspiciemus, & assequimur non naturæ viribus sed sola gratia; sed *Philosophicum* & *ad vitam banc civilem restrictum*, quod dicitur *Summum secundum quid*, quia non est simpliciter ultima hominis felicitas. *Finis* enim hominis creati & existentis unus & ultimus est Deus. Idque non est *Metaphysicum* quod est essentialis intrinseca præstantia; verum *Ethicum* sive *Morale*.

§. V. *Synonymia* denique in nomine inquirendo ratio est habenda. Ebræis dicitur טוב, טוב, Græcis dicitur εὐδαιμονία ob rationem §. 3. datam. Ἄγαθόν, *Bonum Arist. I. Eth. Nic. 2.* Ἄγαθόν autem dicitur quasi ἄγασθόν admirabile, admiratione dignum, quod nos rapiat præstantiâ in sui admirationem sive ab ἀγαθὸν deos, valde divinus, quia reddimur Deo similes. εὐεχία *vita bona Arist. I. Eth. Nic. 5.* Εὐπραγία, *recta ratio secundum virtutem. I. Eth. Nic. 4.* Εὐτυχία, *prospera fortuna I. Eth. 8.* à bonis externis, ceu instrumentis *Summi Boni* dicta vel quia multi posuerunt & ponunt in bonis fortunæ *Summum Bonum.* Μακαρισμός, *Beatitudo*, ab adjuncta voluptate & lætitiâ *S. Boni.* *Renatus Cartesius Epist. 4. & 5.* Sic Μακάριον dicitur quasi μαχαρίον à particula με ἀνέστη & χαίρειν gaudere, sive à μάλα & χαίρειν. *Piccol. grad. 9. c. 2. τέλος τελειότατον finis perfectissimus Arist. lib. 1. Magn. Mor. c. Wendelinus Philos. Mor. C. I. lib. 2. p. 545.* negat finem *Summum* esse æquipollentem *S. Bono*: finis, inqviens, est Numinis magni celebratio, & in Deo terminatur, at *S. Bonum in homine.* *Brutorum finis est, inservire usibus hominum, quos præstant etiam damno & interitu suo: hunc verò finem brutorum esse bonum illorum, nemo facile dixerit. Verum enim vero finis summus & S. Bonum moraliter considerata sunt ἰσοδυναμῶντα, nec differunt nisi secundum conceptus proprios, seu rationes formales, ita, ut alia fini, alia bono sit attribuenda definitio.* Hic quoque aliquid est dicendum de distinctione

ctione

atione, quam B. Hornejus *Philosophia Moral. Lib. I. C. VIII. §. 13.* facit inter *felicitem* & *S. Bonum*, ideo, ut, si in sequentibus unum pro altero ponamus, sumus excusati, quia distinctio illa rara est, nec soepius reperitur. Ipsius Verba ita audiuntur: *S. Bonum est primum inter bona omnia, quæ homini obtingere possunt, felicitas autem non tam unum bonorum dicit, quam ut Cic. ait s. Tuscul. secretis malis omnibus cumulatam bonorum complexionem. Unde fit, ut animi perfectio maxima recte dicatur S. Bonum, felicitas autem non item, nisi etiam corpus sua perfectione gaudeat.*

§. VI. *Definitio vilo, Definitio in rigore dicta nunc aggredienda est. Quæ abfolvitur duobus conceptibus Quidditativis, scilicet Contrahibili sive Communi sive Generica, & contrahente sive proprio sive differentiali; genericus dicitur *ivvria* seu operatio, seu Summi Boni forma proxima, quæ nos perficit intrinsecus. Quemadmodum opifices, tibicines, statuarii fabri &c. & partes corporis humani, oculi, manus pedes, & reliquæ dicuntur ad perfectionem venisse; ita hominis perfectio erit sita in munere quodam. *Arist. L. I. Eth. Nic. 7. Ut in Olympicis, inquit Arist. I. Eth. Nic. 8. non formosissimi quoque & robustissimi coronantur, sed qui desertant, horum enim nonnulli vincunt: sic & honestorum in vita bonorumque composites sunt recte facientes.**

§. VII. *Differentia Prima sumitur a Subjecto Quo sive partiali; dicitur enim in Definitione *ψυχῆς λογικῆς*, non, ac si excluderetur Subjectum Quod, sive totale, scilicet homo, sed ut actiones corporis cum brutis communes negarentur efficere Formale Summi Boni. Dicitur vero *λογικῆς*; nam anima vegetans (si animam licet dicere) facit tantum, ut homo vivat, quæ etiam communis est cum plantis: neque vel ipsa rationem habet, vel ejus imperio pareat, nisi per accidens. Neque sentiens, illa enim est juxta quosdam corporea, rationisque expers. Facit quidem ad Summum Bonum, quatenus determinatur ad mandata mentis exequenda. Verum Rationalis anima est principalis causa Summi Boni, quia est aliquid *ὄντως ἰδίον* homini. Elegantissime hoc explicat Seneca Ep. 76. *Omnia suo bono constant, vitem fertilitas commendat, Japor**

Sapor vinum, velocitas cervum. Quare fortia dorso jumenta sint, quævis? quia, eorum hic unus est usus, sarcinam ferre. In cane sagacitas prima est, si investigare debet feras: cursus, si consequi; audacia, si mordere & invadere. Id in quoque optimum est, cui nascitur, quo censetur. In homine optimum quid est? Ratio: hac antecedit animalia, deos sequitur. Ratio ergo perfecta propria hominis bonum est: cetera illi cum animalibus satisque communia sunt. Valet? & leones: formosus est? & pavones: velox est? & equi: non dico, in his omnibus vincitur. Non quæro, quid in se maximum habeat, sed quid suum. Corpus habet? & arbores: habet impetum & motum voluntarium (i.e. spontaneum)? & bestia & vermes: habet vocem? sed quanto clariorem canes, acutiorem aquila, graviorem tauri, dulciorem mobilioremque lusciniæ? Quid in homine proprium? Ratio: hæc recta & consummata felicitatem hominis implevit.

§. VIII. Verba in Definitione κατ' ἀρχὴν ἀρίστην & τελειοτάτην secundam differentiam suppeditant. Cum actio animæ rationalis latior sit quam Summum Bonum, dicitur enim tam de virtuosa quam vitiosa actione; limitatur per mensuram scilicet virtutem. Virtus siquidem sola, ut actio recta & perfecta sit, efficere potest. Cui virtuti adduntur duo epitheta, primum est, quod sit optima, alterum quod sit perfectissima. Quid verò per illam virtutem optimam ac perfectissimam intelligatur, variæ sententiæ interpretum reperiuntur. Sunt, qui certam aliquam ac determinatam virtutis speciem, ab Aristotele significatam volunt. Quidam prudentiam à Philosopho intellectam contendunt, quod illa omnium virtutum sit directrix & comes ac demonstret mediocritatem in quavis virtute eruendam, quid juxta dictamen rationis sit faciendum, quid fugiendum. Nonnulli putant intelligendam esse sapientiam inter Theoreticas, Justitiam inter Practicas virtutes. Magirus, Heereboord, Jacobus Martini, Job. Weissius, Nicolaus Hunnius, Sigismundus Evenius, Egidius Strauchius, Piccolomineus aliique non unam speciem virtutis, sed quæ amlibet virtutem in gradu suo summo, non inchoatam primum aut recens coeptam, sed jam usu ac crebris actionibus confirmatam. ut ipse agens ex talibus actionibus percipiat volu-

ptatem, quæ indicium est & signum perfecti habitus, volunt.

§ IX Denique tertiam *differentiam* reliqua verba desumpta ab *Adjuncto* absolunt: *ἐν βίῳ τελείῳ*. Hic iterum *Aristot.* interpretes dissentiunt. *Non intelligitur quædam perpetuitas vitæ; ea enim non cadit in homines mortales, dum hic vivant; sed intelligitur constantia & diuturnitas circa actiones virtutis per totam vitam.* *Magirus in C. VII. lib. I. Arist.* Beatitudo non est breve & momentaneum quoddam bonum, sed quod tempore longo est stabile & durans. Debet igitur beatus non unam alteramve actionem virtuosam edere, sed studium virtutum continuare usque ad extremum vitæ halitum. Idquod *Philosophus C. I.* proverbio dat cognoscendum: *ut nec una hirundo, ut quæ unus dies non facit ver; ita nec unus dies, nec exiguum tempus beatum aliquem facit. Sed quæ diuturnitas & qualis longinquitas, dicente Heereboord. Exerc. Eth. 9. exigatur ad hanc vitam perfectam, hoc non satis est certum: nonnullis intelligentibus totam hominis vitam à principio ad finem comprehensam; aliis non totam vitæ seriem ac complexionem intelligentibus, sed eam vitæ partem, in qua quis comparat virtutem, qualis est ætas virilis: Sunt, qui vitam perfectam Aristotelis esse volunt vitam longam & nature fortunæque bonis abundantem.* Verum talis vita est intelligenda, quæ rationis usus plenus habetur, quæque extenditur tanto tempore, ut in ea elucere possit hominis summa hæc beatitudo. Quæ vita nulla alia est, quam ætas virilis opposita puerili, quæ virtutis, beatitudinisque non est capax.

§ X. Quare temporis mentio fiat in *Definitione*, dicunt *Aristotelici*, quia beatitudo necessario est conjuncta temporis. Licet forma introducat in *instanti*, & non successive, in materia tamen, cui jam est introducta, nunquam exercet suas actiones sine tempore. Sic quoque felicitas cum tempore consistit in operatione. Requiritur tempus non pro intensione, sed adaptione, extensione, usu, confirmatione & illustratione felicitatis.

§ XI. Hinc apparet, quid sit statuendum de quæstione: num felicitas recipiat magis & minus? Resp. *Summam Bonum duobus*

B

bus modis hic considerari potest, (1) in se, *ἀπλῶς* & absolute, quatenus bonorum omnium perfectissimum & præstantissimum, & sic neque magis neque minus recipit. (2) ratione subiecti, & virorum bonorum, quibus felicitas inest, prout nimirum in variis vario modo, imo etiam in eodem, modo exactius, modo diminutius recipitur: atque sic recipere posse magis & minus, quis negabit? Si nempe comparatio instituatür vel inter varios vel inter unum eundemque in diverso tempore existentem & consideratum. Jac. Martini disput. V. de S. Bono. Si priore itaque modo consideratur, non recipit magis neque minus, quia id tum *Summum Bonum* dicimus, quod ut *Summum & optimum* in veniri & excogitari possit, ut sit mensura universæ latitudinis; sin posteriore, nemo inficias ibit, illum, qui plures & præstantiores edit virtutis actiones, feliciorum esse eo, qui pauciores.

§ XII *Definitione Aristotelis examinata*, lubet *Cartesii* ejusque *asseclarum Definitionem* addere, quæ qua rem convenit cum *Aristotelica*. Vid. *Excellent. Dn. nostri Röhrsensii prud. Mor. Part. I. c. 3. p. 32.* Cum autem eorum *Definitio* magis perspicua sit; ducimus eam esse præferendam *Aristotelica*, *Cartesius* enim *Ep. I. V. Ludovicus de La. Forge Tract. de Mente Hum. C. 26. Num. 6. p. m. 208. Arnoldus Geulinx Annot. Maj. in Princip. Phil. Cart. diss. Etb. p. 330. seqq. Le. Grand Instit. Phil. Part. X. c. 6. p. 749. Anton. Gouddin Tom. IV. Q. 1. Art. 3. § 1. 2. p. 48. seqq.* aliique, cum *Cartesio* facientes, potius attendunt *Summum Bonum*, quatenus est hominis privati; *Aristoteles* vero *Summum Bonum* statuit esse confluxum omnium perfectionum, quæ conjunctæ non deprehenduntur in privato seu peculiari homine, sed in genere humano, sive natura in genere, quæ omnes homines continet, & veluti *Corpus Politicum* componit, ut loquitur *Le. Grand. l. all. n. 2. Aristotelis* igitur *Summum Bonum* ex omnibus tam corporis quam animi perfectionibus compositum est. *Sed hoc ad usum, differente Cartesio l. all. p. m. n. nostrum minime pertinet.*

§ XIII *Privati* igitur *cujusque Summum Bonum* est *constans recte agendi voluntas*, seu *rectus liberi arbitrii usus*, & ex hoc nascens

ens animi tranquillitas. Hæc Cartesii Cartesianorumque Definitio fuit ex conciliandis Zenonis & Epicuri opinionibus. Zeno posuit Summum Bonum in Virtute, quæ juxta Cartesianos non est habitus, sed Amor i. e. firmum propositum, seu Voluntas id omne faciendi ac omittendi, quod recta Ratio faciendum ac omittendum esse decreverit. vid. Geulinx l. all. Thes. 1. p. 308. Et hoc videtur esse, quod Plato statuit, uti videre est § ultimo.

§ XIV. Definitione utriusque expedita, collustraturi sumus *Attributa primaria*. Quorum est (1) *divinum*, Eth. Nic. 9. & quidem duplici ratione (a) effectivè: nam quicquid præter Deum est, id est ab aliquo & propter aliquid. *Summum* itaque *Bonum* est effectus Dei, ab eoque tanquam causa prima & universalis provenit. (β) *objectivè*, Deus enim est *beatitudo objectiva*, contradistincta *formali*. *Beatitudo objectiva* est nil aliud juxta *Scholasticos*, quam ipsum *Objectum*, quod beat. res, quæ felicem reddit hominem: Hæc nempe *objectiva* non consistit in actione virtutis, uti *formalis*, imo in nullo bono creato; sed in solo Deo, quia, dicente Heereboord. Exerc. Eth. 9. hoc bonum, si beabit hominem, debet esse istius conditionis, ut appetitum hominis explere valeat: at verò hominis appetitus est infinitus. Ergo & bonum illud oportet esse infinitum, quod isti appetitui sit satisfacturum.

§ XV *Summum Bonum* (2) sit ἀριστον καὶ τελειότατον *optimum & perfectissimum* i. Nic. 8. Dicitur ita in suo genere & ad hanc vitam restrictum, quia nil superius datur, in quo appetitus revera acquiescat, & quia nil desiderium magis perficere queat.

§ XVI. *Summi Boni* (3) *affectio est*, quod sit μόνιμον seu σταθερόν, *immobile* seu *difficiliter mobile* seu *constans*, quod non eripi potest ex i. Eth. Nic. 5. Vir enim bonus non movetur fortunæ telis, nec miser effici potest. Contrarium quidem sentit Plato in Protagora, putans, virum bonum posse reddi pravam & vice versa. Verum si hoc intelligit speculativè, conceditur: nam sicut verum est, contraria invicem permutari posse: ita quoque non est absurdum, sapientem suam sapientiam interdum amisisse. Humana duplex occurrit felicitas: una popularis alte-

ra propriè sic dicta. Cum autem illa vera *beatitudo* non sit, sed fortunæ spendor, utiqve ei subjecta facile permutatur. Hæc vera, constans & immutabilis nunquam ad extremè oppositam miseriam permutari potest. Qui itaqve mutatur, non *beatus* revera erat, sed videbatur. Licet bona fortunæ amittantur, tamen non statim *beatitudo* perditur, quia beatus illa non judicat constantia neqve felicitatis *κρίσιον* seu id, in quo consistat ipsius natura, sed tantum ut aliquod accidens Piccolom. Grad. 9. c. 46. p. m. 85. 49 sq.

§. XVII. (4) *Proprietas Summi Boni* est, quod sit *πρακτικὸν καὶ κτητικὸν ἀποκρίσιον*, quod peragi & comparari potest hominis studio & industria i. *Et b.* 2. & 7. Cum in nostra libertate arbitrii sit positum, nec dependeat à fortunæ nudæ favore, vitia & virtutes exercere, omnino humanis viribus potest acquiri. Jam verò nobis superesse potestatem contraria & contradictoria agendi, dant comprobata leges latæ, quibus honesta præcipiuntur & contraria prohibentur.

§. VIII. (5) *Summum Bonum* est *ἰδιον καὶ οὐκ ἴδιον*, *proprium & domesticum* i. *Nic.* 3. & 7. *Proprium* est non quarti, vel tertii, vel secundi, sed primi modi: solus enim homo est illius particeps vid. §. VIII. *domesticum*, quando spectat ad hunc vel illum in individuo, qui proprio labore & studio sibi illud acquirere debet, & solus possidere, nec alteri per hæreditatem concedere potest. Dicitur etiam ideo *domesticum*, quia id possidenti eo pro lubitu uti licet.

§. XIX. (6) *Summum Bonum* est *κοινωνικόν*, *Communismum*. Quod omnino arguit *Summi Boni* præstantiam. Bona enim quo sunt communiora, eo sunt præstantiora. Nulli enim hominum repugnat virtus. Est itaqve, *beatitudo* non unius alteriusve individui, sed totius *Speciei*, adeoque pertinet ad omnes homines. Quando autem illa *felicitas* non omnibus hominibus contingit, vitium non residet in *Summo Bono*, sed in hominibus.

§. XX.

§ XX (7) *Summum Bonum* est ἀυταρκες 1. Eth. Nic. 7. ἀυταρκειᾷ hic non est consideranda absolute, sed secundum quid ita dicta. Illam solus Deus sibi vendicat: *Deus sicut est solus omnis boni bonum, Ens perfectum, absolutum, immortale, solus à nullo, in nullo, per nullum, sed à se ipso, in se ipso, per se ipsum ipse, & ab ipso, in ipso, & per ipsum omnia: ita quoque summum hunc perfectionis gradum solus possidet, solusque vere ἀυταρκης, nulla re indigens. Jac. Mart. disp. V. de Summo Bono. Est vero illa ἀυταρκειᾷ ejusmodi copia, abundantia & sufficientia rerum, quæ sunt necessariæ ad commodè vivendum, ita, ut nihil amplius desideretur. Unde ἀυταρκης dicitur is, qui suis bonis est contentus & rebus necessariis instructus, ut nullius indigeat. Summum verò Bonum ita est comparatum, ut habeat ἀυταρκειᾷ, quia est perfectissimum. Id enim dicitur perfectissimum, cui nihil deest. Cui autem nil deest, id est se ipso contentum, & sibi ipsi sufficit. Ulterius, quod nulla re eget, est ἀυταρκης: S. verò Bonum nulla re eget, E. Minor probatur, quia est ultimum, in quo mens quiescat. ἀυταρκειᾷ autem est æstimanda non ex persona nostra solum, ita, ut tum putemus, nos esse satis beatos, si haberemus pro nobis, unde vivere possemus, sed, ut Arist. vult, sub persona nostra intelligendi sunt parentes aliique, quibus vel lege naturæ vel ratione officii tenemur benefacere. Homo est naturâ animal politicum. Non abjicienda sunt bona fortunæ, quibus prospiciendum est suis aliisque: nam qui suis & maxime domesticis non providet, fidem abnegavit, & infideli deterior est 1. Tim. V. 8. Requiritur ad Summum Bonum bona naturæ & fortunæ ὀργανικῶς, honor & gloria συμβολικῶς, amici κοινωνικῶς, de quibus fusius infra. ἀυταρκειᾷ itaque hæc bona non excludit, sed includit in summo splendore, & nil desiderat extra se majus aliquid, quo natura ipsius perfectior reddatur.*

§ XXI. (8) *Summum Bonum* est κοινωνόν, sui communicativum 1. Nic. 5. Aptus enim est beatus sese communicandi omnibus virtuosus, & nititur pluribus commode esse suis actionibus ex virtute profectis.

§ XXII. (9) *Summum Bonum est τιμιον, honorabile 1. Eth. 2.* *Summum Bonum* melius dicitur *τιμιον*, quam *εταυτερον*, quia per se expetitur, & non propter aliud uti virtutes. Laudabile enim bonum propter aliud superius bonum, ad quod dirigitur, laudatur. *Beatitudo* autem est omnium bonorum summum ac ultimum.

§. XXIII. (10) *Summum Bonum est κατ'αυτε' αἰσθητον propter se expetendum 1. Eth. 7.* omnis enim bonitas est causa, ut appetatur. *Summum autem Bonum* est per se expetendum *positive* & *negative*. *Positive*, quia omnes actiones tendunt ad finem ultimum impetrandum, *negative*, ad alium enim finem non ordinatur.

§. XXIV. (II) *Summum Bonum est ἡδον' jucundum 1. Eth. 8.* Demonstratur vero *jucunditas Summi Boni* à Philosopho tribus rationibus: Prima est: *cuique jucundum est id, quod amare dicitur: ut equus equos amanti, spectaculum theatrorum cupido: qui amat vinum, & vinum est jucundum & svade: sic qui amat virtutem, ei actiones virtutis sunt jucunda. Jam autem vir bonus amat virtutum actiones: Ergo virtutum actiones viro bono sunt jucunda. Secunda ratio est: Quae per se & sua natura sunt jucunda, ea etiam viro bono sunt jucunda: vir enim probus nil appetit, quod non est sua natura & revera jucundum; malo & probo ea videntur jucunda, quae natura sua non sunt, sed potius naturam offendunt & destruunt: At actiones virtutum in se sunt jucunda, Ergo etiam viro bono sunt jucunda. Tertium argumentum sumitur à vinculo, quo haec tria bonum, honestum & jucundum inter se sunt connexa, ita, ut neutrum ab altero possit separari. Conf. Magir Comment. in b. l.*

§. XXIV. Breviter sic expeditis *Definitione & Attributis, ming recte statuentium* series esset dispicienda, quod scilicet non sit, quod omnia appetunt. Est enim appetibilitas consequens aliquod, non formalis ratio. Cum autem sint tot sententiae, quot fere capita, atque illa opinionum diversitas ex vario vitae genere, quod homines sectantur, ducimus supervacaneum esse omnes leviores sententias adducere, attendentes quatuor vitae genera, quae maximè excellent. (I) est juxta *Arist. 1. Eth. 5. βίος ἀρε-*

λαύ-

λαυσικός, *vita deliciosa, ac mollis*: (2) βίος πολιτικός καὶ πρακτικός, *vita civilis & activa*: (3) βίος χρηματικός, *vita quæstiosa*. (4) βίος θεωρητικός *vita contemplativa*.

§. XXVI. Summum Bonum (1) non consistit in *Voluptate* neque corporis neque animi: *Vuluptas animi Summum Bonum non est*. Contradictionem enim involvit, beatitudinem esse voluptatem, quia ex omni bono voluptas capitur. Si itaque *voluptas est Summum Bonum*, ex hac *voluptate*, tanquam bono, iterum alia *voluptas* capi poterit, quæ si iterum est bona, denuo alia *voluptas* inde orietur, adeoque fiet processus in infinitum, donec dicatur esse affectionem & effectum *boni*. Multo minus est *voluptas* corporis, hæc enim non homini tantum cum brutis communis est, sed in iis sæpe major, quam in hoc, sæpe diuturnior.

. XXVII. Nec [2] est *Honor*. *Beatitudo* debet esse in ipso *beato*: *Domesticum* sit necesse est *bonum* intrinsicum, proprium, & in possidentis potestate situm; verum *honor* est externum, dependens ab aliorum arbitrio, imò sæpè est in potestate imperitii atque rudis popelli. *Honor* non est in honoratis, sed honorantibus. *Summum Bonum* est constans & firmum; *honor* verò nil inconstantius ac mutabilius est. *Summum Bonum* expetitur propter se; *honor* vero propter aliud, ut testimonium virtutis. *Summum Bonum* tantum habetur à bonis; *honor* autem à bonis & malis. *Summum Bonum* adfert tranquillitatem; *honor* curam, sollicitudinem. Denique *Summum Bonum* est honorabile; Jam autem si *honor* *honore* afficeretur, progressus daretur in infinitum.

§. XXVIII. Nec (3) *Divitia*. *S. Bonum* consistit nec in *divitiis naturalibus* nec *artificialibus*. Id quod probatur (1) *Summum Bonum* propter se expetitur, *divitia* verò propter aliud, nempe *Summum Bonum* illustrandum (2) *Summum Bonum* est proprium & domesticum; *divitia* vero non item, dependent enim à volubili fortuna. Sapienter dictum legimus apud *Ovid. lib. 3. Trist. Eleg. 7.*

*Namque dat, & quodcumque lubet, fortuna, rapitque:
Irus & est subito, qui modo Cræsus erat.*

§. XXIX. Nec *Summum Bonum* (4) est *contemplatio* seu *cognitio veri & boni*. Licet affirmantium sententia hæc magis accedat ad *S. Bonum*,


22
117
797
Bonum, quam reliquæ tres refutatæ. Requiritur quædam *speculatio*, ut antecedens, ad *Summum Bonum*, minime autem constituit ipsum *S. Bonum*: id quod demonstramus (1) *S. Bonum* non est causa vitii; at *speculatio* rerum humanarum est causa multorum vitiorum. *Scientia* enim *juxta* 1. Cor. VIII. 1. *inflatur*. *Scientia* est causa *superbiæ*, *ambitionis* in se ipso, in aliis *invidiæ*, *æmulationis*. (2) *speculatio* abstrahit possidentem à virtutum exercitio in vita societatis: (3) *speculatio* rerum creatarum non satiatur voluntatem.

XXX. Patet inde, quid sit statuendum de *Platonis Idea*. Quidam sicut *Platoni* affingunt, quod *putarit*, omnium rerum ab æterno fuisse aliquas *ideas*, easque separatas à singularibus, quodque eas non posuerit in Deo, tanquam rationes formales, in mente divina existentes, ad quas Deus respiciens singula creaverit, sed extra Deum, non ut *causam efficientem*, sed *exemplarem*: ita eidem tribuunt, quod voluerit *ideam universalem Boni* à singularibus bonis separatam, in ejusque speculatione. *Summum Bonum* posuerit. Alii verò dicunt, *Platonem* intellexisse per *ideam* Deum. Vid. *Heid. Phil. Mor. Part. I. p. 108. Heereboord disp. sel. Vol. 2. disp. 31. Hornejus Phil. Mor. lib. 1. c. 7. §. 14. sqq. Steph. Theopolus Acad. Contemplat. lib. X. c. 4. p. m. 374. Marsilius Ficinus Argument. in Phæb. Plat. p. m. 235.* qui dicit *Summum anima Bonum à Platone Dei similitudinem esse*. Quemadmodum autem alia *beatitudo est objectiva*, alia *formalis*; sic videtur nobis *Plato* statuisse duplicem *felicitatem*, *objectivam* & *formalem*; illam dixit *ideam* seu *Deum ipsum*; hanc verò statuit esse *Dei agnitionem*, *imitationem* & *similitudinem*, quæ in hac mortalitate acquiri virtutum exercitio potest

Conf. *Piccolom. Grad. p. c. 4. m. 842. Excellent. Dominus noster Röhrensee Prud. Mor. Part. 1. c. 2. p. 18 sqq.*



40
VDA18



Farbkarte #13

B.I.G.

Q. N. 351, 28.

I. N. J.
ΕΥΔΑΙΜΟΝΟΛΟΓΙΑ,
SIVE
DISSERTATIO ETHICA

XXX
165
II f
797

DE
SUMMO BONO,
FINE PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ,

Qvam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AUGUSTO,
PRINCIPE REGIO,
ELECT. SAX. HÆREDE &c. &c.
publice different

In Illustri Academia Wittenbergensi
d. XX. Decembr. cl. 1611
P R Æ S E S

M. JOH. LAURENTIUS
Schneemelcher /



Wernigeroda-Thuringus,
AUGUSTISS. REGIS POLON. AC SERENISS. PRING.
ELECT. SAX. ALUMNUS,
&
RESPONDENS



DANIEL LEOPOLDUS
Augusta-Vindelicus.

WITTEBERGÆ, Typis Joh. Hakii.

1702

956.